



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

190. An institutio fieri possit diebus festivis, vel etiam post obitum præsentantium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

nem bireti, vel quid simile, id institutioni, quæ tali est per accidens.

**Questio 187.** Num canonicè institutus, etiam verbaliter solum, statim capere possit possessionem, administrare, & jura beneficio suo competentia exercere?

**R**espondeo ad hoc respondendum infra, ubi de possessione beneficii.

**Questio 188.** Num, si quis presentatus semel coram Episcopo, & dein coram alio inferiore ab eodè patrono, eò quòd is verisimiliter putavit pertinere instituere ad inferiorem, ad quem tamen re ipsa non spectat, possit regredi ad priorem presentationem, & vilius valide institui?

**R**espondeo: posse talem juvari ex priore valida presentatione, ob probabilem errorem facti circa jus singulare, & hoc supposito, non arctari presentatum alterutram presentationem eligere, sed posse utramque prosequi. Lott. l. 2. q. 13. n. 89. & seq. eò quòd licet remittentibus jus suum non detur regressus; hoc tamen semper intelligatur, nisi remittens esset aliquo modo excusabilis; sicut in simili, licet in iudiciis non permittatur variatio circa actionem, ea tamen adhuc conceditur, dum quis iusto errore incompetentem actionem elegerit. Lott. num. 92. & seq. Sed neque ob stare videtur textus c. ut quis duas. de elect. in 6. ubi dicitur habentem duas electiones in eadem Ecclesia, non posse nisi unam prosequi, petendo illius confirmationem, adeòq; compellendum eligere alterutram, ne cum ipsius Ecclesie vel adversarii sui, si quem habet, discrimine incerto vagetur (quippe dum petitio vagatur in incerto, si sub ea obtineatur confirmatio vel institutio, hæc quoque erit super incerto) unde sequitur, per optionem factam de una electione prosequenda ita extinguit effectum alterius, ut ad eam non detur regressus: nam id applicari nequit terminis presentationis & institutionis; dum enim quis duas habet presentationes, sive ab uno, sive à duobus patronis coram diversis presententibus jus instituendi fit, ut licet utramque quis promoveat, eo ipso tamen quòd eas non promovet, coram uno eodèq; habente instituere, sed singulas singulariter coram singulis institutoribus, prorsus cesset illa ratio incertitudinis, atq; ita dispositio citati textus. Lott. à num. 69. sed & ut per electionem unius via præcludatur altera, seu recessus ad alteram, requiritur, ut isti: electio fieri debeat juris necessitate, & non sit purè in simplici arbitrio alicujus, uti, quæ ipse velit, viâ; necessitas enim electionis, quæ consumit optionem, differt ab ipsa potestate eligendi: cum hæc oriatur ex mera voluntate, ista ex facto extrinseco jubentis; Item ut deaegeret regressus, requiritur, rem desisse esse integram; uti fit, dum per electionem unius via queritur alteri jus respectu alterius; cessant autem hæc omnia in presenti controversia prosecutionis plurium presentationum; cum nullibi injecta sit hæc necessitas eligendi unam viam à jure aut justificatione alterius, neque per talem optionem alicui jus respectu alterius.

Lott. à num. 105.

\* \*

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

**Questio 189.** Intra quod tempus fieri debeat institutio?

**1. R**espondeo primò: à jure communi nullum præfixum esse tempus institutori ad instituendum, tradit Corrad. l. 4. c. 7. num. 11. Lott. cit. q. 13. num. 59. citans Abb. con. 28. num. 2. p. 2. & aliquot Rotæ decisi, non debere tamen a quò longius protrahi institutionem; quin &, dum nihil obstat, quod superiorem à faciendâ sententia institutionis retrahat, omnibus probatis teneri illum eam ferre, & compilato processu statim presentatum instituere, ait ibid. Corrad. (quamvis ibid. num. 26. dicat, remanere in arbitrio superioris, an velit statim probatis omnibus de jure requisitis instituere presentatum, nec ne; cum ei non sit tempus statutum ad instituendum, sicuti est patrono ad presentandum) Item ex Rocho. v. honorificum. q. 25. num. 55. & Abb. in c. 2. de concess. præb. quòd habens instituere non habet tempus prolixum, sicut is, qui habet conferre; cum institutio fiat de persona presentata; unde nihil superest superiori faciendum, nisi presentatum examinare. Concedere nihilominus semestre institutori videtur Castrop. loc. cit. p. 5. n. 3. dum ait, non posse eum ultra semestre prorogare institutionem, quin ea devolvatur ad Superiorem.

**2.** Notandum etiam, quòd Castrop. de benef. d. 3. p. 4. num. 10. ait, institutionem beneficiorum jurispatronatus non esse faciendam durante termino concessio patronis ad presentandum, eò quòd durante illo tempore possit fortè alius patronus apparere, & presentationem facere, cui juri derogandum non est; præterquam quòd patroni laici possint durante quadrimestri variare; quare si de facto contingeret presentationem ante lapsum quadrimestre vel semestre fieri, & illâ factâ novus appareret patronus, & poterit revocari, revocanda esset.

**3.** Respondeo secundo: solere quandoque fundatores in fundatione præfigere certum terminum, intra quem institui debeat presentandus: Item in Dataria Apostolica concedi quandoque solent electiones beneficiorum cum reservatione jurispatronatus adjectâ temporis, etiam parvi, præmittione ad instituendum, qui terminus quantumcunque parvus servandus est, ne aliàs devolvatur institutio ad alium. Corrad. cit. num. 11. Interim patrono jus suum perire nequit ex quacunque procrastinatione institutoris. Lott. cit. num. 59. Non tamen licebit presentato, quantumcunque institutor differat institutionem, se in beneficioingere ante ipsam institutionem; aliàs omne jus sibi quæsitum per presentationem amittit, & non evadit prævas contentas in c. avaritia. de elect. in 6. quidquid aliqui quòd ad hoc postremum dixerint in contrarium contra communem opinionem & praxin. Corrad. à n. 13.

**Questio 190.** Num institutio fieri possit diebus feriatis seu festivis, vel etiam post obitum presentantium?

**1. R**espondeo ad primum affirmativè: cum similes actus provisi sunt extrajudiciales, Lott. cit. q. 13. num. 85. citans Gemin. in c. concertationi. de appell. in 6. num. 3.

**2.** Respondeo ad secundum etiam affirmativè: idque verum, etiam si jam alii patroni successerint. Corrad. cit. q. 7. n. 23. citans Vivian. l. 12.

c. 5. num. 35.

H 3

Questio